

bent Fratres in labore manuum, certis iterum horis in lectione Divina... Si autem necessitas loci aut paupertas exegerit, ut ad fruges colligendas per se occupentur, non contristentur, quia tunc verè Monachi sunt, si labore manuum vivunt, sicut & Patres nostri & Apostoli.

V Sanctus Isidorus Regula sua c. 6. "Monachus semper operetur manibus suis, ita ut quibuslibet variis opificiis cum artibus laboribusque studium suum impendat, seque quens loquentem Apostolum, qui dicit: *Neque panem gratis manducavimus: sed in labore & fatigatione nocte & die laborantis*. Et iterum: *Qui non vult operari, non manducet*. Deinde adducto exemplo Patriarcharum, Apostolorum, aliorumque multorum summæ auctoritatis virorum, qui corporale opus fecerunt, unde vitam corporis sustentabant, subjicit: Si igitur tantæ auctoritatis homines laboribus & operibus, etiam rusticis inservierunt, quanto magis Monachi, quos oportet non solum vitæ necessaria propriis manibus exhibere, sed etiam indigentiam aliorum laboribus suis reficere... Qui sic volunt vacare lectioni ut non operentur, ipsi lectioni contumaces existunt, quia non faciunt quod ibi legunt. Ibi enim scriptum est: *Operantes suum panem manducant*. Ecce iterum: *ignem scitis, quomodo oportet imitari nos: quia non iniqui fuimus apud vos, neque panem gratis ab alio, quo manducavimus, sed in labore & fatigatione die & nocte operantis, ne quem vestrum gravaremus*. Qui per infirmitatem corporis operari non possunt, humanitas, clementius tractandi sunt nec contra eos murmurandum est ab eis qui vires laborandi habent; sed magis consulendum est illi, quò sciunt corpore infirmos. Ipsi autem, qui non possunt, eos qui laborant & possunt, meliores sibi scilicet fœdioresque fateantur. Qui verò languidus est, & laborem operum corporaliu[m] sustinere non potest, consulendum est illi, & ejus infirmitas temperanda est. Qui verò sani sunt, & fallunt, procul dubio dolendi, atque lugendi sunt: quia non corpore, sed [quod pejus est] mente agroti sunt: quique, etiam humanis oculis contingi non possunt, Deum tamen non fallunt. Tales igitur ferendi sunt, si agrotudo latet; aut distringendi, si sanitas pateat. Monachi operantes meditari aut psallere debent: ut carminis verbique Dei delectatione contolentur ipsum laborem. Si enim sæculares opifices inter ipsos labores suorum operum amatorum turpiaque cantare non desunt, atque ita horam suam in cantibus & fabulis implicant, ut ab opere manus non subtrahant: quanto servus Christi sic manibus operari debet, ut semper laudem Dei in ore habeat, & lingua ejus psalmis atque hymnis inserviat. Laborandum est ergo corpore, animo fixa in Deum intentione; sicque manus in opere implicanda est, ut mens non avertatur à Deo. Propriis autem temporibus oportet operari Monachum, & propriis, & orationi lectioni incumbere.

VI. Aliæ Patrum Occidentalium Regulae idem passim inculcant, discernitque S. Ferreolus Episcopus Regulae c. 28. Monachum absque certis solemnitatibus, vel manifesta agrotudine diem sine operatione transigentem à convivio excludendum, jubente beato Apostolo: *Qui non laborat, non manducet*. Hic deinde varia Monachorum illius temporis opera recenset; atque inter cætera ait, *scribere esse præcipuum opus*. Nec sanè dubium, antiquum & usitatissimum Monachorum opus fuisse, libros scribere.

Id abunde testantur veteres bibliothecæ Monasteriorum multis adhuc codicibus MSS. refertæ, in quibus scribendis Monachi desudantes doctrinam posteritati conservaverunt.

VII. Ex hæcenus allegatis habemus, Monachis ubique commendatum fuisse opus manuale, illudque & S. Albertus sæculo 13. Fratres Montis Carmeli in Regula multum commendans exemplo S. Pauli, concludit his verbis: *Hæc via sancta & bona, ambulare in ea*. Et S. Franciscus idem inculcat, ut capite sequenti videbimus.

Insuper nequaquam obscurum est, plurimos Monachos ex opere manuum suarum vitam vitasse.

VIII. Sed illud quoque constat; nunnullos etiam antiquitus fuisse Monasteriorum Claustra, in quibus non solum Monachorum laboribus quotidianis Monachi sustentarentur, sed vel ex oblationibus parentum eorum, qui ingrediebantur, vel etiam ex bonis Fidelium in sustentationem Monachorum ipsis Monasteriis donatis.

IX. Regula enim S. Benedicti, uti ex allegatis verbis patet, Monachos ad colligendas per se fruges obstringit sub hac expressa conditione, *Si necessitas loci, aut paupertas exegerit*, non obscure supponens, non semper loci necessitatem, aut paupertatem opus illud manuale à Monachis exigere.

Et capite 58. vult, ut Novitius ante professionem, res quas habet, aut erogat prius pauperibus, aut facta solemniter donatione, conferat Monasterio, nihil sibi reservans ex omnibus. Et S. Isidorus cap. 4. "Qui relicto sæculo ad militiam Christi piæ & salubritate convertuntur, omnia sua primùm aut indigentibus dividant, aut Monasterio conferant... Qui aliquid habentes, in sæculo convertuntur, non extollantur, si de suis facultatibus quoddamque Monasterio contulerint, sed potius timeant, ne per hæc in superbiam labantur, & pereant, quibus melius esset, si divitiis cum humilitate in sæculo perfruerentur, quam ut jam pauperes effecti, de eorum distributione elatione superbie extollerentur.

X. Quin duobus ut minus sæculis ante hos scribit S. Augustinus: "Quæ aliquid habebant in sæculo, quando ingressæ sunt Monasterium, libenter velint esse communi." Epist. 109. cap. 4.

Non tantum ergo ex labore manuum, sed etiam ex oblationibus eorum, qui Monasterium ingressi sua Monasterio obtulerant, Monachi vivebant.

Nec Ingredients dumtaxat in sustentationem eorum, qui pauperes è sæculo ad Monasteria Divertebant, de suis rebus offerebant; sed vel præcipuè ipsi Fideles Laici Monasteria ex bonis suis fundantes, vel fundata dotantes.

Sanctus Augustinus explicans Psalmum 103, dicit per Cedros Libani posse intelligi nobiles sæculi, excelli genere, opibus & honoribus; per Passeres verò minores & parvos ac humiles hujus sæculi, id est, ait, sunt quidam servi Dei audientes in Evangelio, dimittite omnia tua, vel, veni de omnia tua, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælis, & veni & sequere me.

Quomodo hi pauperes tamquam Passeres nidificent in Cedris Libani subjicit: "Etenim & Cedri Libani, nobiles & divites & excelli hujus sæculi, quoniam cum timore audiunt, *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem*, attendunt res suas, villas suas, & omnes superfluas copias, quibus videntur excelli, & præbent illas servis Dei; dant agros, dant hortos, ædificant Ecclesias, Monasteria, colligunt passeres, ut in Cedris Libani, nidificent passeres. Ergo *faciantur Cedri Libani*, quas plantavit Dominus, & illic passeres nidificabunt. Attendite totam terram si non ita est."

XII. Quanta fundorum ac divitiarum copia, tum per oblationes ingredientium, atque effusam fundatorum, aliorumque fidelium liberalitatem ad Monasteria sensim devoluta fuerit, notius est, quam probari debeat: in tantum, ut sæculo 9. legamus, Abbatis plures ad eas divitias pervenisse, ut etiam ipsis Regibus dona annua & militiam suppeditare deberent; uti videre est apud Labbeum tomo 7. *Conciliorum generalium col. 1513.* ubi refertur Constitutio Ludovici Pii edita circa annum 817. seu notitia de Monasteriis, quæ in Regno, vel Imperio suo dona & militiam facere possunt, quæ sola dona sine militiam, quæ verò nec dona nec militiam, sed solas orationes pro salute Imperatoris, vel filiorum ejus, & stabilitate Imperii.

XIII. Quæ fuerit sæculo XI. Laicorum in Monachos liberalitas, & ad fundanda dotandaque monasteria pro-

pensio, ex iis solis quæ sub initio Ordinis Cisterciensis acta sunt, colligi potest.

Vix enim primum hujus Ordinis Monasterium, scilicet Molisimense, fundatum erat à S. Roberto Ordinis hujus Auctore, quin ex iis, uti narrat historia, à principibus in vicinia vitis, ad nova in eorum fundis constituenda cœnobium, petiti sunt. Quin & adhuc vivente Molisimi primo Fundatore S. Roberto, ad tantas divitias ascendit, ut brevi sancta Molisimi initia collapsa sint, & ex nimia temporalium felicitate & abundantia remissior facta disciplina; tantà paulatim eam remissionem subsequente mortum corruptelâ, ut quantumcumque S. Robertus exemplo & monitis anniteretur, revocari Monachi non possent ad pristinam integritatem. Vide Papebrochiũ in commentario prævio ad vitam S. Roberti §. 1. n. 7.

XIV. Quin & unius sæculi spatio Ordo ille tanta divitiarum affluentia auctus fuit; atque in illa affluentia à pristina vitæ sanctitate, & disciplina Monastica integritate adeo sancti, ut de illo hæc sæculo 12. scribat Alexander III. "Recolentes qualiter hæc plantatio sancta, hæc vitis fructifera, hæc denique vitæ Domini Sabaoth sub primis ordinis patribus pullulavit; & palmites longe atque produens ad mortiferam circumquaque venenatam pellenda protulit flores, & odores effudit; pervigili custodia custodiatis eorum in omnibus inhaerere vestigiis, per quos cooperante omnino in deserto hujus mundi flos hujuscemodi plantatus est honestatis. Hec enim monastica frugalitatis contentissimi, optimum ponentes in paupertate principium, totius sufficientiam affecuti sunt complementum, Ecclesie cari, Episcopis & Prælati accepti, atque in conspectu Regum ac Principum famâ & merito gloriosi. Nunc autem, quod dolentes dicimus, & si non ab omnibus, neque in omnibus, à plerisque tamen, & in pluribus ab illa sancta institutione dicitur declinatum, in tantum, ut aliqui ex vobis primæ institutionis obliti penitus, vel ignorantes contra ordinis vestri regulam villas, molendina, Ecclesias, & altaria possident, fidelitates, & hominia suscipiunt, justitianos, & tributarios tenent, omne studium adhibent, ut termini eorum dilatentur in terris, quorum conversatio debet esse in cælis. Læditur hinc ordo penitus, & vitatur, nec est mutatio dextera excelli, quin immo potius de dextera transeunt in sinistram; qui cum relicto sæculo sub paupertatis habitu Deo militare creverunt, in negotiis denuo sæcularibus implicantur. Inde est quod vobis ab iis, qui foris sunt, contentiones, & litigia suscitantur, & Abbatibus in causis forensibus occupatis, plurimum in commissis domibus & teporibus ordinis, & dissolutio nascitur charitatis, maxime quia charitas in paupertate plus proficit, & cupiditatis dedignata consortium, nisi illa restringatur, hæc repolcit. Ideo sanctum, ac venerabile collegium vestrum precipue, & monitis, quibus possumus, exhortamur, quatenus domus illæ, quæ à prima sui origine in ordine ipso sunt fundatæ, constitutæ, & ordinatæ, terminis suis contentæ; nec velint inordinate ad ea manus extendere, quæ sine laboribus, & periculis multis, & demum sine criminibus, & magna confusione non poterunt retinere." Cap. 3. *De Statu Monach.*

XV. Cum verò continuo magis ad Monasteria, aliaque Corpora Ecclesiastica, bona devolverentur; idque non sine gravamine Principum & laicorum: eo quod bona sic ad Corpora illa devoluta eximerentur à variis oneribus, quibus Respublica sublevari, & Principis ararium consisti debet; tandem Principes huic ad Corpora Ecclesiastica bonorum devolutionem modum ponere debuerunt.

Et quidem Principes nostri edixerunt, ne res immobilis cujuscumque naturæ & conditionis in Monasteria, Capitula, aliaque Corpora, quæ vulgo manus Mortuæ dicuntur, quovis titulo transferri possent.

XVI. Primum in Belgio Edictum prohibitorium, ait Antonius Anselmo in suo Triboniano Belgico cap. 50. §. 6. [quod ad manus meas pervenit] est Guidonis

Comitis Flandriæ de anno 1293. Verùm illud promulgatum pro Flandris solum, & non pro Brabantis. Hæc ille; qui §. 7. dicit, "primò Religiosis & Monasteriis bona stabilia in Brabantia acquirere vetitum est in Tabulis Ducis Joannis de anno 1312. art. 12." Extat *Vol. 1. Edictorum Brabantia Lib. 2. tit. 1. cap. 1.* Loquitur generaliter de personis Ecclesiasticis.

XVII. Huic prohibitioni accessit deinde Constitutio Philippi Pulchri de 20. Sept. 1451. extans in citato volumine Edictorum Lib. 2. tit. 3. cap. 4. vetaturque Ecclesiasticis Brabantis titulo emptionis acquirere bona immobilia sita in Brabantia, nisi sub conditione, quod venditor aut ejus heredes ea semper poterunt redimere ad nummum 18.

XVIII. Cum verò, uti loco citato §. 8. notat Anselmus, hæc Constitutio usi recepta non esset, nova prohibitio de non acquirendo Ecclesiasticis facta est art. 14. in additione novi Introitus Caroli V. 26. Aprilis 1515. extatque indicto volumine Lib. 2. tit. 1. cap. 17. quæ cavetur, nulla bona seu allodialia, seu feudalia, seu emphyteuticaria, vel sensalia posse vendi, transferri, aut cedi quacumque ex causa vel titulo in Monasteria, Hospitalia, Capitula, Collegia, aut alias Manus mortuas; nisi hujusmodi translatio fieret de unanimitate Principis & Magistratus Metropolis Civitatis, sub qua bona illa sita sunt, consensu.

XIX. Sed neque hæc Constitutio statim suum habuit effectum. Nam Abbates sive Status Ecclesiasticus Ordinum Brabantia, Libello supplice exposuerunt Concilio Brabantia, dictam Constitutionem à Civitatibus Brabantis subreptitè, ipsis inauditis, fuisse extortam; super quo libello ordinatum fuit, ut partes hinc inde summarè coram Committariis audirentur; ac interim executio istius Constitutionis esset in suspensio, 26. April. 1516. Habentur literæ in allegato volumine Edictorum Lib. 1. t. 4. c. 2.

XX. Verùm cum Abbates & Prælati eorumque Mandata causam non prosequerentur, tandem ad instantiam Fiscalium suspensio sublata fuit, proditque Constitutio Caroli V. per formam Edicti Perpetui 29. Octobris 1520. relata in citato volumine Edictorum Lib. 1. tit. 4. cap. 4. quæ statuitur, quod nemo quocumque titulo, prætextu, vel colore, neque quacumque de causa, ratione, aut occasione poterit quacumque rem immobilis sitam in Brabantia vendere, aut quocumque modo alienare in usum aut favorem alicujus Monasterii, Ecclesie, Collegii, Conventus, Hospitalis, vel personarum Ecclesiasticarum seu in Manus mortuas, sine expresso consensu Principis, Valliorum, & Magistratus civitatis Metropolis sub cuius districtu bona erunt sita: quodque nulli Prætores, Viri Feudales, Scabini, Magistratus, aut alii Judices & Officiales intervenient, aut patiantur hujusmodi venditiones, cessiones vel permutationes in Manus mortuas fieri; neque dicta Corpora Ecclesiastica in bona illa inheredari.

Declarans insuper omnem hujusmodi translationem bonorum immobilium in dictas Manus mortuas, nullam & sine effectu.

Deinde decernit, ut nulla bona immobilia per particularem & generalem successionem, vel testamentum, ordinationem, donationem, vel ab intestato, devolvantur vel cedant quibuscumque Monasteriis, collegiis, Capitulis vel aliis Manus mortuis; declarans quidquid in contrarium forsitan statueretur à quocumque, & quacumque ex causa, nullum ac nullius effectus; atque in perpetuum tamquam nullum reputetur & habeatur.

XXI. In narrativa ipsius Constitutionis, declarat, se ad hanc Constitutionem edendum impulsam fuisse, quod expendisset, tantam jam bonorum tam feudalium, quam allodialium & aliorum, copiam penes Corpora Ecclesiastica possideri, ut ex illis se honeste ac sufficienter intertinere possint. Attenta quoque magna Ecclesiarum, Monasteriorum, Hospitalium, Conventuum, Capellaniarum & foundationum multitudine, per quam suos Subditos & Vasallos multum gravari asserit.



Neque ergo in odium Ecclesiasticæ immunitatis aut libertatis hæc constituit Carolus V. alique antepsum Principes nostri; sed ne cives & incolæ suis facultatibus exhauriantur.

XXII. De hac Carolina Constitutione ita loquitur Tullenus noster in Codice Tit. De Sacrosanctis Ecclesiis n. 4. "Vetuit Edicto suo Carolus quintus bona immobilia Ecclesiis aliisque piis locis ultra acquiri absque consensu Principis. Quod providentissimus Imperator neque sine magna ratione, neque sine exemplo constituit. Idem enim olim Imperator Nicephorus Phocas edixerat, Zonar. tom. 2. Annal. alique Christiani Imperatores l. 20. §. 27. C. Theod. De Episcopis & Clericis, etiam D. Hieronymo laudante lib. 2. ep. 12. Non de lege, inquit, conqueror, sed de causa, qua hanc legem meruimus. Namque in sacri Officii reverentiam congestæ Majorum pietate opes penè causam reverentiam inminuerant, quorumdam ante salutem Concilii Trid. medelam) f. stu, luxu, desidia. Nam, ut ait Salvianus lib. 2. ad Eccles. Cathol. "Nimiam profusione opum non sufficitur Religio, sed evertitur."

XXIII. Pro intellectu hujus Carolinæ quæ hodie utitur, notandum, manum mortuam in hac materia appellari, "Ecclesiasticam, civitatem, collegium (ait Pecquius Tractatu De Amortizatione cap. 2.) sive illud quodcumque Corpus, vel Ecclesiasticum, vel sæculare, quod bonorum capax est." Ideo vero manus mortua hujusmodi corpus appellatur, "quod quemadmodum, ait Pecquius, mortuus hominis manus, id quod comprehendit, firmissimè conclusum tenet, neque facile remittit: sic etiam, quidquid Ecclesia seu Corpus istiusmodi semel acquirat, & in manum, hoc est, potestatem suam semel accipit, non nisi magna cum difficultate & solemnitate in commune hominum commercium deinde remittit, sed accumulando conservat."

XXIV. Ut ergo aliquid censetur relictum manus mortuæ, debet illud esse relictum Corpori ut Corpori: nam si singulis de Corpore sit relictum, non censetur relictum manus mortuæ.

Hoc ex capite, si quis pauperes certæ urbis vel Parochiæ instituit hæredes, vel cognationi suæ annua cibaria reliquerit, in sumptus studiorum, instituta fundatione in Collegio Academicò, defendi probabiliter potest [ait Stockmannius Decis. Brabantina 4. non manus mortuam, seu Corpus aliquod vel Collegium esse vocatum, sed singulas personas esse vocatas certo ordine, inter quæ multum interesse ostendit L. CUM SENATUS 20. ff. De rebus dubiis, in verbis: Nisi singulis legatur, hi enim non quasi Collegium, sed quasi certi homines admittentur ad legatum. Hæc Stockmannius, qui & addit: "Unde & res immobiles sic relinquere posse non improbabilerè audiri sustineri in lite quæpiam."

XXV. Amortizatio juxta hodiernum loquendi usum, nihil aliud est, quam indulgentia, dispensatio, & concessio facta iis, quos Manus mortuas vocamus, bona immobilia acquirendi & possidendi.

XXVI. Hanc hodie in Gallia solus Rex indulget, uti testatur Paponius in suis Actibus Lib. 1. tit. 14. ar. 1. In his Regionibus Carolus V. in sua Constitutione cavet, Amortizationem non concedendam, nisi de expresso, unanimiti, & communi assensu ipsius Principis, & Magistratus urbis Metropolitanæ, sub qua bona Amortizanda sita sunt.

XXVII. In Concordatis inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem initis 10. Mart. 1541. tit. 3. un. 1. dicitur: "Illa bona tantum censeri debent amortizata, quæ à jurisdictione sæculari per Principem sunt exempta, literis desuper ritè expeditis, vel quæ à 70. aut 80. annis tantquam amortizata per Ecclesiam possessa sunt."

XXVIII. "Diploma amortizationis, (ait Anselmo in suo Triboniano Belgico cap. 87. §. 2.) vix negari solet, puando Principi ceterisque constat, Pastoribus, seu Monasteriis non esse provisum de competentia."

XXIX. "Quia verò (pergit Anselmo) per hujusmodi concessionem Regi, vel Dominis loci dantur inferitur

propter laudimia & publicationes, seu confiscationes, & per eas bona immobilia subducuntur è potestate sæculari, adeoque impositionibus gravari non possunt, sicut cetera bona in manibus laicorum existentia: hinc pro obtinendo jure morticinii solent supplicantes Regi pro jure confiscationis offerre censum aliquem irredimibilem & cum Domino loci ratione laudimiorum componere, & deniq; bona amortizanda subijcere, & obnoxia reddere impositionibus, tallis, contributionibus, precariis aliisque oneribus, perinde acsi essent in potestate sæculari. Hoc modo cessant incommoda, seu rationes ob quas prohibitum est Ecclesiasticis & Monasteriis acquirere."

Si quis plura scire desideret de hac amortizationis materia, consulat Pecquium in tractatu De Amortizatione bonorum, & Zypæum in Jure novo tit. De foro competenti, alios ab aliis citatis.

CAPUT IV.

Qui Ordines Mendicantes, & eorum specialis paupertas, ac quæ Religiosa Mendicantia.

1. Qui Religiosi dicantur Mendicantes? [rati.
2. Ordines Mendicantes olim reditus habere non poterant.
3. Aliqui sunt Mendicantes ex Regula; alii ex Constitutionibus.
4. Solum Franciscani sunt Mendicantes ex Regula.
5. Merito S. Franciscus dicitur primus Mendicantium auctor.
6. Ordo S. Dominici in sua fundatione reditus in communi possedit.
8. Ordo Carmelitarum dici non potest Mendicantium ex Regula.
9. Tempore editi libri Decretalium non videntur Ordines Eremitarum S. Augustini & Carmelitarum fuisse Ordines Mendicantes.
10. Hi Ordines videntur sensim Ordinibus Mendicantibus fuisse annumerati.
11. Circa medium sæculi 13. videtur Ordo Carmelitarum Ordinem Mendicantium institutum cepisse arripere.
12. Similiter circa idem tempus Ordo Eremitarum S. Augustini eam vitam normam cepit imitari.
13. Ex Decreto Concilii Lugdunensis sub fine sæculi 13. constat hos Ordines necdum tamquam Ordines Mendicantes fuisse approbatos.
14. Decretum Concilii Lugdunensis mutilatum tempore Bonifacii VIII.
15. Ex illa mutilatione colligitur Ordines illos tunc fuisse tamquam Mendicantes probatos. [rati.
16. Ordo Minorum Ordinibus Mendicantibus annumeratus.
17. Ordo Societatis Jesu declaratur esse verè de Ordinibus Mendicantibus: & quo titulo?
18. Similiter Ordo Discalceatorum Ordo Mendicantium declaratur.
19. Ordines Mendicantes olim renuntiaverunt possessioni bonorum etiam in communi.
20. Creditum fuit hanc paupertatem Ordinibus illis maxime convenire: & quare?
21. Experientia postmodum ducit, quod multiplicato Religiosorum & Monasteriorum numero difficile esset sine multis incommodis huic paupertatem servare.
22. Imbecilliores & imperfecti difficulter molestias ex hac paupertate provenientes sustinere possunt.
23. Hi ut molestias & incommoda evadant, pro visa subsidio ad media inordinata recurrere ceperunt.
24. Id evincitur ex epistolis S. Bonaventura.
25. Plures Ordines Mendicantes ceperunt etiam ante Concilium Tridentinum reditus in communi possidere.
26. Synodus Tridentina id omnibus concessit, exceptis Minoribus de observantia & Capucinis.
27. Synodus non vult plures recipi quam ex reditibus Monasterii & consuetis elemosynis sustentari possunt.

28. Cur minores de observantia & Capucinis in Decreto Tridentino excepti.
29. Quid in publicatione Concilii Tridentini in Belgio circa prædictum Decretum fuerit notatum?
30. Licet Ordinibus Mendicantibus concessum sit possidere reditus in communi, non tamen desierunt duci Mendicantes à mendicitate.
31. Quod S. Franciscus de Mendicitate dixit, id merito pro norma Religiosa mendicitatis accipitur.
32. S. Franciscus noluit ut Fratres Mendicarent, nisi deficientibus aliunde vite subsidio.
33. Ut Fratres à sollicitudine anxie vite necessariis acquirendis liberaret, voluit ut non erubescerent in necessitate elemosynas ostiatim petere.
34. Petere aut accipere elemosynas extra necessitatem & ultra necessitatem speciem furti reputavit Franciscus.
35. S. Franciscus tantum voluit Fratres Mendicare, dum ex labore manuum vivere non possunt.
36. Nicolaus III. declaravit à labore manuum exemptos, qui studii aut Ecclesiasticis ministeriis obnoxii vacant.
37. S. Thomas docet tribus titulis Religiosos posse ex elemosynis vivere.
38. Hodie pene solo titulo ministerii populo impensis Religiosi ad elemosynas petendas admittuntur.
39. Sine consensu civis Magistratus agrè hic admittuntur collectio elemosynarum.
40. Viventes elemosynis debent tamquam pauperes paucis esse contenti. (vari.
41. Non debent Ordines otiosos & non laborantibus gravari.
42. Cavere debent in elemosynarum collectione speciem avaritiæ, & turpis quaestus.
43. Solliciti cavere debent vitia & abusus Quæstorum.

I. Hic dicuntur mendicantes [ait Glossographus ad Cap. Un. De Excessibus Prælat. in VI. in Verbo, "Mendicantes" quibus victum tribuit incerta mendicitas: & qui reditus aut possessiones ex Regula vel Constitutionibus habere non possunt. Quæ definitio accepta ex Cap. Unico §. CONFIRMATOS De Religiosis domibus in VI. in quo dicitur, Orines aliquos per Sedem Apostolicam confirmatos, & post Concilium Lateranense sub Innocentio III. institutos, quibus ad congruam sustentationem reditus aut possessiones habere professio sive Regula qualibet interdicit, sed per quæstum publicum tribuere victum solet incerta mendicitas."

II. Si igitur jus Commune inspicimus Religiosi quos Mendicantes dicimus, nec in communi reditus aut possessiones ad congruam sustentationem habere possunt, vitiumque tamquam pauperes ex elemosynis etiam, si opus fuerit nec ultrò offerantur, ostiatim emendicatis accipere debent.

III. Duo verò, ut ex allegatis intelligitur, sunt hujusmodi Ordinum Mendicantium genera. Alii enim sunt tales ex Regula, alii verò ex Constitutionibus ipsi Regule quam profitentur postmodum adjectis.

IV. Prioris generis sunt soli Franciscani; quorum Regula à S. Francisco dictata, & ab Honorio III. probata in Constitutione quæ incipit: Solet annuere §. in Bull. R. c. 6. hæc habet: "Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, sed tanquam peregrini, & advenæ in hoc sæculo, in paupertate & humilitate Domino famulantes, vadant pro elemosyna confidenter Non oportet eos veterari, quia Dominus pro nobis fecit pauperem in hoc mundo. Hæc est illa altissima paupertatis, quæ vos carissimos fratres meos, hæredes & reges regni Cælorum instituit, pauperes rebus fecit, virtutibus sublimavit. Hæc est portio vera quæ perducit in terram viventium, cui dilectissimi Fratres totaliter inhaerentes, nihil aliud pro nomine Domini nostri in perpetuum sub cælo habere velitis."

Et rursus in suo Testamento, quod in Bullario Romano ipsi Constitutioni Pontificiæ subijcitur, de hac pau-

peratis professione ita loquitur: "Et ego manibus meis laborabam & volo laborare, & omnes alii fratres mei firmiter volo quod laborent de laboritio, quod pertinet ad honestatem. Et qui nesciunt, discant, non propter cupiditatem accipiendi pretium laboris, sed propter bonum exemplum, & ad repellendam otiositatem. Et quando non daretur nobis pretium laboris, recurreremus ad mensam Domini, petendo elemosynas OSTIATIM."

V. Nulla alia Monachorum Regula hujus abdicatio nis redituum ac possessionem etiam in communi, aut mendicantis ullibi meminere; ut merito S. Franciscus primum hujus instituti fundamentum posuisse dicatur; atque primus Ordinum Mendicantium Fundator eo titulo jure merito dici queat. Tametsi enim aliorum Ordinum, qui hodie Mendicantes dicuntur, institutio Ordinem S. Francisci præcessit: potuerunt, nonnulli tamen post institutum Ordinem S. Francisci, atque ab eo exaratam hanc Regulam, hoc vivendi institutum acceperunt: ac propterea Mendicantes non ex Regula, sed ex Constitutionibus dicuntur.

VI. Et quidem Dominici Regulam S. Augustini à suo Fundatore acceperunt; nec aliam huculque receperunt quæ de hac abdicatione redituum aut mendicitate non loquitur.

Unde & Ordinum Dominicanorum in suo exordio reditus ac fundos quin & decimas & Ecclesias eam suis proventibus in communi possidisse, evidens est ex Bulla Honorii III. hujus Ordinis confirmatoriâ quæ incipit: Religiosam vitam. Quin imò non nisi quadriennio post Ordinis confirmationem in generali Conventu Bononiæ coacto, à Beat. Dominico aliisque Ordinis Fratribus omnium bonorum abdicatio facta est; & nè posterum habere liceat, constitutione edita sanxerunt; atque tunc ex elemosynis: etiam Mendicatio acquirendis, vivere ceperunt; idque ad exemplum & imitationem, ut dicitur, S. Francisci.

VII. Similiter Eremitas S. Augustini eum dem cum Dominicanis Regulam S. Augustini profitentis nequamquam Mendicantes ex Regula dici posse compertum est.

VIII. Nec Ordo Montis Carmeli, sive Carmelitarum talis dici potest. Regula enim S. Basilii sive Regula Albertina Regula Basilianæ conformis, quam hi primitus acceperunt & nunc profitentur, redituum & bonorum immobilium in communi possessionem non prohibet; Imò ex ipsa regula Albertina cap. 7. latè constat, Fratres Montis Carmeli primitus bona in communi possidisse.

IX. Quo verò tempore hi duo Ordines, nimirum Eremitarum S. Augustini, & Carmelitarum fuerint Ordinibus Mendicantibus annumerati, & tamquam tales à Romanis Pontificibus recogniti ac probati, non satis constat.

Illud sat constare videtur, tempore Gregorii IX. neutrum illorum Ordinum Mendicantibus fuisse annumeratum: quia uti observat Azorius Institutionum Moralium par. 1. Lib. 12. c. 25. in toto libro Decretalium jussu hujus Pontificis collecto, solummodo referuntur duo Ordines Mendicantes, Prædicatorum scilicet & Minorum.

X. Verisimile est, hos Ordines sensim & circa illam specialem & expressam Pontificiam Constitutionem Ordinibus Mendicantibus fuisse annumeratos.

XI. Siquidem Innocentius IV. in Bulla, quæ Regulam à S. Alberto Fratribus Eremitis de Monte Carmelo traditam declaravit, & in aliquibus mitigavit, quæ incipit, Quæ honorem 6. in Bull. R. cap. 13. testatur, Fratres Ordinis istius mendicare consuevisse. "Ab esu carniæ abstinere, nisi pro infirmitatis vel debilitatis remedio sumantur. Et qui, ait, oportet vos frequenter mendicare itinerantes, ne sitis hospitibus onerosi, extra domos vestras sumere poteritis pulmenta cocta cum carnibus."

Plura in eadem Regula mitigatione continere, quæ inveniunt, jam tum Carmelitas qui primam more Eremitico vixerant, atque adhuc Eremitæ de Monte Carmelo in Bulla Honorii III. Regula Albertinæ confirmatoriâ dicebantur ad vitam Cœnobiticam, atque ad normam aliorum Mendicantium ceperunt regulari; uti ex collatione Regula Albertinæ, quemadmodum in Bulla Honorii III. continet.